





818  
16.97  
1775,60  
EXERCITATIO IVRIDICA

*De eo quod iustum est circa  
donationem a debitore ante concursum  
motum factam.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAЕ  
IN PROVINCIA SUPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.  
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. X I. A P R I L. M D C C L X X V.

A D DISCEPTANDVM PVBLICE PROPOSIT  
A V C T O R

AVGVSTVS ERNESTVS SCHMÜCK  
D R E S D E N S I S.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

EXCELSIOR INDICIA  
CONIS DE CAVESIBUS ET DE  
INFERIS TERRARUM STUDIOVIT  
HABENDA  
PLATYTOPOMA S. C. M. U. T. O. C. A. T. E. I. N.  
P. A. E. A. R. D.  
H. H. I. D. G. O. T. L. I. R. S. S. O. N. P. R. O.  
M. Y. O. T. O. I. O. O. P. O. T. O. R. U. M.  
T. O. D. E. C. R. I. Z. Z. A.  
T. O. D. E. C. R. I. Z. Z. A.  
T. O. D. E. C. R. I. Z. Z. A.  
T. O. D. E. C. R. I. Z. Z. A.  
T. O. D. E. C. R. I. Z. Z. A.

VIRO ILLVSTRI  
**GEORGIO FRIDERICO**  
**GROSMANNO**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
ELECTORIS SAXONIAE  
VERO CONSILIARIO BELLICO

PATRONO VENERANDO

ALIO TITULIS  
GEORGIO FREDERICIO  
GEOGRAPHICO

SERIENSACRA ET SOLEMNITATUM  
HISTORIA ROMANARUM  
CIVILISATIONIS

ОДИНОЧНЫЙ АСТАРА

**F**am diu multumque optauerim, ut occasio grata mibi se offerret, qua obseruantiae atque reuerentiae erga TE operam nauarem, nulla tamen illa adhuc magis e votis meis erat, qua diligentiae meae primas fruges TIBI consecro. **TVA** erga me, qua semper me cumulaſti, benevolentia iam satis fretus, hoc TE non aegre esse latrum, putabam. Summi praeterea ponderis haec est ratio, hunc TIBI consecrandi libellum, magna **TVA** Iurisprudentiae scientia, cum non solum bac, sed etiam aliis eruditionis partibus maxime delecteris. Faxit infinita diuinis Numinis clementia, fons omnium bonorum, ut ad negotia, quae grauiſſima omnino sunt, vires TIBI suppeditet quam maximas, et annorum vitae **TVAE**, in maximam reipublicae utilitatem, **TVAE**que familiae splendorem,

\* 2

nu-

*numerum augeat admodum magnum. TVAE  
denique, non solum hunc libellum, sed me ipsum  
studiaque mea, benevolentiae commendando, mibi  
autem meisque in posterum faueas rogo. Ce-  
terum me semper habeas*

## N O M I N I S T V I

*Lipſiae*  
*d. II. April.*  
*M D C C L X X V .*  
O B S E R V A N T I S S I M U M  
A V G V S T U M E R N E S T U M S C H M Ü C K



### §. I.

 Antequam ad ipsum perueniamus propositum,  
 necessarium erit, vt aliquid de donatione in  
 genere dicamus. *Ere enim est*, ait *Vlpianus*  
*l. i. ff. de rebus credit. prius*, quam ad verborum inter-  
 pretationem deueniamus, pauca de significatione ipsius  
 tituli referre. Donatio est pactum legitimum, quo  
 quis ex mera liberalitate aliquid ex suis bonis in alte-  
 rum accipientem transfert, eo quidem animo, vt sta-  
 tim accipientis fiat, neque vlo modo ad donantem  
 reuertatur. Donatio teste Paulo *l. 35. §. i. ff. de do-*  
*nat. mort. caus. dicta est a dono quasi dono datum rapti*  
*a Graeco, nam hi dicunt δῶρον ναῦ δῶρεισθαι id est donare.*  
Graeci enim antiqui  $\Delta\omega\rho\nu$  Palmum vocabant et hinc  
 $\Delta\omega\rho\nu$  munera quia manu darentur. conf. Plin. lib. 35.  
c. 14. et hanc ob causam *l. 67. §. i. ff. de verb. signifi-*  
 A cat.

*cat.* Donationis verbum, simpliciter loquendo omnem donationem comprehendisse videtur, siue mortis causa, siue non mortis causa fuerit. Donatio sumitur generaliter, ita ut etiam is quodammodo donare dicatur, qui rem pro delicto habet, huius rei testis et lauo lenus *l. 36. ff. de stipulat. seruor.* *Quod Seruus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habebat, nullius est momenti, quia qui pro derelicto rem habet, omnimodo a se reiecit, nec potest eius operibus vti, quem eo iure ad se pertinere noluit, quod si ab alio adprehensus est, stipulatione ei adquirere poterit, nam haec genere quodam donatio est.* vel specialirer, pro actu, quo quis rem in alterum gratis transfert, vel pro pacto, et propter legis dispositionem legitimo, quia leges pacto nudo per se non obligatorio efficaciam et autoritatem attribuunt.

## §. II.

Donationis fundamentum omni modo ex iure naturali potest deduci, quoniam quilibet de rebus suis potest disponere, et ad hanc disponendi potestatem etiam donatio resertur, quamvis pene omnes donationes vti hodie fiunt, ob nimia arbitraria, quae hic concurrunt, sint mere iuris ciuilis. e. g. quod etiam res alienae possint donari in quantum usucapio sibi vindicat locum, usucapiones enim sunt iure naturali non entia,

entia; eadem ratio est indonatione mortis causa, quae usque ad mortem reuocari potest, quod autem essentialibus pacti repugnat, omne pactum enim est irreuocabile, nisi subueniat specialis legis dispositio, aut aliquis laedatur. Donatio est vel absoluta, quae fit ex mera liberalitate, aut relativa in compensationem aliorum beneficiorum; similiter fit sine euentu mortis, quae dicitur donatio inter viuos, vel in euentum mortis, donatio mortis causa. Optime de hac re differuit Perez *Comment.* ad Cod. ad b. t. simul confulenda est doctissima et elegantissima Diff. Cancellarii Ioh. Petr. a Ludwig de donatione eiusque barbaro adnexa acceptatione.

### §. III.

Ad donationem potissimum requiritur, ut ille qui rem in alterum transfert, ipsis rei sit dominus, quoniam nemo in alterum dominium transferre potest, cuius rei ipse non est dominus. Donatio enim est species alienationis, alienatio vero est effectus dominii, qui habet dominium de re sua, proprio arbitrio disponere potest, ergo etiam res suas donandi licentiam habet, si modo ita fiat, ut nemo exinde laedatur, et legibus actio sit consentanea. Ita tutori quidem de rebus pupilli administrandi, neutquam vero aliquid alienandi indistincte potestas est concessa, nisi vel sint res mobiles quae seruando seruari nequeunt, vel alienatio immobiles concernat, et

A 2

tunc

4

---

tunc etiam ut iudicialiter fiat, requiritur, multo mi-  
nus aliquid ex eius bonis potest tutor donare, quo-  
niā bonorum non est dominus, sed administrator.  
Si quis mihi velit obicere, etiam res alienas  
posse donari, bene perpendat, exceptionem esse  
a regula, in genere enim reson possunt donari, nisi  
vsucapio concurrat, quod leges in poenam negligen-  
tiae introduxerunt, Iura enim non dormientibus, sed  
vigilantibus prospiciunt, adeoque est singulare, quod  
regulam haud destruit, sed potius in casibus non ex-  
ceptis confirmat.

#### §. IV.

Quamvis omnes donationes ita debent esse ordi-  
natae, ne alteri exinde praeiudicium oriatur, saepē  
numero tamen fieri solet, ut debitores oberati in frau-  
dem creditorum donationes suscipiant, ne iis satisfieri  
possit. Legislatores itaque iam ab initio huic modo  
prospexerunt, quoniam nunquam dolo patrocini-  
um praefstant, interest potius reipublicae, ut creditores  
sint securi, et pax externa non patiatur detrimentum;  
finis enim omnium legum primarius in eo consistit,  
ut conueniant aequitati, et saluti publicae non repu-  
gnent, ad cuius conseruationem imperans pariter  
quam subditus tenetur. Inuenimus iure romano le-  
gem elegantissimam Aeliam sententiam anno  
DCCLVI. Sub Augusto, Sex. Aelio Catulo et  
Sentio

Sentio Saturnino Coss. latam, haec lex, quae ex vingtis capitibus consistebat, quas ex fragmentis veterum ICtorum satis accurate recensuit, Heineccius in Antiq. Rom. T. I. p. 115. ed. nou. de quibus autem tempore Iustiniani haec duo adhuc erant in vsu, inter alia disponebat, ne quis in fraud. Credit. manumiteret, quod probat tit. I. *Quib. ex cauf.* serui enim illis temporibus erant res, quae quoniam venditionem recipiebant, patrimonium augebant domini, et quo maior erat numerus seruorum, eo maiores erant diuitiae domini, diminuta itaque maxima bonorum parte, ceditoribus imminebat praeiudicium, et periculum fortis lentebant, cum nihil remaneret, vnde satisfactionem petere possent. Sub imperatoribus enim saepe 12 6000 habebant seruos. Sic refert Plinius in Hist. Nat. quendam equitem rowanum Augustum scripsisse heredem, his verbis additis: numerum seruorum esse 8000. et in bellis ciuilibus valde adhuc diminutum esse. Tales ergo donationes, per quas seruis libertatem dabat dominus, erant nullae, omnique effectu destitutae, quae enim lege prohibente fiunt, pro infectis habentur I. 5. C. de vsu. Quamvis vero haec lex apud nos non habeat usum, quia seruitutes romanae sunt sublatae, seruitus enim naturae i.e. primaeuo statui naturali repngnat, cum omnes liberi nascuntur, aliquam tamen similitudinem habere vi-

detur cum edicto praetoris, ne quis in fraudem creditorum alienaret, quia debitores saepe adeo erant integrati, ut non solum creditoribus solutionem redderent difficultem sed eos etiam de fraudare stupererent, bona dissipantes et fraudulentur distrahentes, huic prospicere voluit praetor edicto, de reuocandis illis, quae in fraud. Credit. sunt alienatae l. i. §. 1. π. quae in fraud. Credit. His praemissis nunc ad id deueniamus cuius causa exercitationem conscripsimus, obuenit nempe quaestio, an donatio ante cessionem: bonorum facta actione Pauliana possit reuocari?

### §. V.

Vt autem hanc quaestionem eo melius expliceamus, aliquid in genere de actione Pauliana dicamus: Actio Paulina est remedium iuris competens creditoribus in quorum fraudem alienatio est facta, contra eum, cum quo a debito aliquid in fraudem Creditorum gestum est, ad id, vt res in fraud. Credit. alienatae rescissa alienatione, cum omni causa restituantur, quasi alienatae non essent. Haec actio a praetore dicta, vti olim Caluisiana a Caluisio, qui et ipse de hac re edictum fecit, l. 2. ff. *siquid. in fraud. patroni:* Vtriusque autem actionis eadem est natura et effectus, et quamvis nominibus distinguntur actiones prava eademque actione haberi debent. Wesenb. Par. ad Dig. h. t: substantialia huius editi sunt, 1) vt animo

mo fraudendi Creditores fiat l. 1. §. 2. h. t. vel vere, quod ex circumstantiis intelligi potest, sic ait Praetor l. 1. h. t. *ita demum revocatur quod fraudandorum creditorum causa factum est, si euentum fraus habuit,* vel praesumtive, quod immediate ex coniecturis deduci potest, si e. g. donator scierit, se non esse soluendo. Mencke ad Dig. h. t. 2) vt aliquid vere alienatum; sub voce alienare omnis modus transferendi dominium intelligitur l. 10. §. vlt. l. 25. §. 1. D. quae in fraud. Credit. vide plura de hac actione Godofr. Lod. Menckenii iun. diss. de actione Pauliana Lips.

1747.

## §. VI.

Nunc ad quaestionem an donatio ante cessionem bonorum facta, actione Pauliana possit reuocari? respondendum erit; optimam nobis praebet responsionem Ictus l. 6. §. 11. h. t. simili modo ait Ictus dicimus, *si cui donatum est, non esse quaerendum, an sciente eo, cui donatum gestum sit, sed hoc tantum, an fraudentur Creditores, nec videtur iniuria offici is, qui ignorauit: cum lucrum extorqueatur non damnum inflatur.* In hos tamen qui ignorantibus ab eo, qui soluendo non sit liberalitatem accepérunt, haec tenus actio erit danda, quatenus locupletiores facti sunt, ultra non. Vlpianus qui optimum Edicti Praetoris interpretem egit, in hac lege ex parte donatarii probationem fraudis

non

3

non desiderat, certat enim de lucro captando, et in hoc casu melior est conditio creditorum, qui de damno vitando certant, sed id tantum, si valere debeat rescissio donationis, desiderat, ut donator, animo defraudandi creditores donationem celebrauerit. Exinde patet, discrimin inter acquisitionem titulo oneroso et lucratiu factam, in illa nempe creditores frustra actionem mouent, nisi probauerint possessorum fuisse fraudis participem. Cum enim is, qui titulo oneroso possidet rem, eadem ratione ut creditores de damno vitando certet, in pari vero causa conditio possidentis sit melior, necessarium utique est, ut accipientes de dolo conuincant creditores, hoc enim casu ad damnum prouocare nequit, cum dolo non patricontentur iura, et is, qui damnum sua culpa sentit, id sentire non videatur.

### §. VII.

Ad probandum vero fraudem ex parte donantis sufficient indicia et coniecturae, ex quibus probable et veritati proxime accedens iudicium de sinistra donantis intentione ferri potest, *huc resertur potissimum I) si donator scierit bona sua non sufficere ad satis faciendum creditoribus, quod probat ICtus L 15. ff. quae in fraud. Credit. si quis cum haberet Titum creditorum et sciret se soluendo non esse, libertates dederit testamento, deinde dimisso Tito, postea sempronius*

un

*um creditorem habere coepert, et eodem testamento manente deceperit, liberalitates datae ratae esse debent. Si oculo fugitiuo, ut ita loquar consideraueris legem, forsan obiicies, nullam inesse legi probationem, sed potius eandem nobis obstante, cum liberalitatis datio in fraudem creditorum facta nihilominus maneat rata. Ast adhibeas tartum regulas artis hermeneuticae, veritatem asserti facili inuenies negotio. Leges nempe Pandectarum sunt responsiones I<sup>C</sup>torum ad quaestiones propositas, interpretis itaque officium praecepue in eo consistit, ut singat casum legi consentaneum, hoc est artificium per quod facili negotio omnes vincimus antinomias iuris, minima enim circumstantia variat rem, et diuersam sententiam desiderat; Casus, quem Julianus l. 15. decidit, hic est: Debitor Titii sciens se non esse soluendo, in fraudem creditorum reliquit seruis testamento libertatem, quod si testator in ea conditione deceperit, utique libertates datae erant nullae: Ast satisfecit debitor Titio et effectus est debitor Sempronii, cui solutione praestare nequid Respectu eius consistunt libertates, non enim eo tempore, quo debebat Sempronio seruis libertatem dedit. et hinc quod donatio in fraudem sempronii facta sit, nemo adfirmabit.*

2) Si donatio est facta clam, remotis arbitris, argum. l. 68. π. de ritu nuptiar: ait I<sup>C</sup>lus: palam delinquentes ut errantes maiori poena excusantur, clam committentes, ut contumaces plectuntur, clandesti-

num factum enim praesumitur dolo factum, qui enim factum clam committit, per se iam confiterit factum esse turpe, quoniam omnes nostrae actiones ita debent esse ordinatae, ut ab quocunque ut bona iudicentur, ideoque in conspectu omnium fieri debent. 3) ex hoc etiam fraus colligi potest, si donator aliquam rem homini donavit, cum quo paulo ante maximam habuit inimicitiam, donatio enim plerumque ex affectione et amore erga alterum fieri solet. 4) dein etiam si donator, rem donavit erga quam ante affectio- nis premium habebat, si e. g. magni viri in hae re erat memoria, vel etiam si res erat maxime rara.

### §. IIX.

Sufficientissimum habetur fraudis indicium, si donatio omnium bonorum inter viuos est facta. Hoc enim factum ita comparatum est, ut probatione non sit opus, cum creditores ex hoc capite donationem impugnantes, ad praesumptionem iuris, quea ab one- re probandi releuat prouocare possint. Praesidium huius rei praefstat l. 17. §. ff. *Quae in fraud. creditor: Lucius Titius* inquit Julianus, *cum haberet creditores libertis suis iisdem filiis naturalibus, uniuersas res suas tradidit. Quamvis non proponatur consilium fraudandi habuisse, tamen qui creditores habere se scit, et uniuersa sua bona alienauit, intelligendus est fraudandorum creditorum, consilium habuisse, ideoque etsi filii eius ignorarunt, hanc mentem patris fuisse, hac actione tenen-* tur.

tur. Confirmat haec lex regulam generalem: alienationem bonorum, quae possidet debitor fieri in fraudem creditorum, si habeat debitor creditores, quibus satisfactionem praestare nequit. Exinde recte colligimus, in reuocandis his negotiis non respiciendum esse ad cessionem bonorum a debitore factam, dummodo probare vel praesumi possit, debitorem eo tempore, quo alienatio fiebat, non fuisse soluendo, conf. Carpzon. Decis. Elect. CLXI. n. 27. respondeunt etiam tali modo ICti In causa Christoph. Abrah. ab Haugwitz zu Zeitz 1632. *Es wäre denn daß die sämtl. Creditores (darunter auch die Chirographarii, welchen der Debitor vor beschobener Donation verhaftet gewesen mit begriffen) durch genugsame Vermuthung erweisen und beybringen möchten, daß die Donation vom donatore vorsetzlich ihnen zum Nachtheil, und also in fraudem creditorum geschehen, dessen genüssen sie auf den Fall billig.* V. R. W.

### §. IX.

Id quod de creditoribus intuitu donationis diximus, ob paritatem rationis quoque applicare licet ad liberos, quorum legitimam pater hoc modo diminuit, vel adimit; quam donationem leges inofficiosam dicunt. Pater enim intuitu legitimae liberis ex dispositione legis competentis, est debitor, eosdemque a petitione, nisi iusta exheredandi causa obueniat, neutrliquam excludere potest. Caute tamen hac in parte

est procedendum, ne donationem in genere a liberis sub praetextu querelae inofficios rescindendam esse credas, quod non nulli putant. Parentibus etenim libera de rebus suis disponendi quam diu viuunt competit potestas, nec legitimam petunt liberi, nisi post mortem, quippe haec debetur ex hereditate, viuentis vero nulla datur hereditas. Quodsi enim parentibus incumberet necessario relinquendi legitimam, exinde sequeretur, quod liberi cessione bonorum existente legitimam ex massa concursus appetere possent, quod vero nemo assistente lege adfirmabat. Ea itaque tantum donatio dici potest inofficio, quam parentes animo proposito, vt elidant legitimam, et liberos a petitione excludant suscepserunt. Id probat rescriptum Imperatoris *l. i. Cod. de inoff. donat.* *Si ut allegatis, mater vestra ad eludendam inofficio querelam pene uniuersas facultates suas, dum ageret in rebus humanis factis donationibus siue in liberos, siue in extraneos exhaustit.* Verba legis *ad eludendam querelam* demonstrant solummodo animum defraudandi esse probandum vt actio locum habeat.

### §. X.

Sic antecedente probatione fraudis donatoris, quaelibet donatio etiam ante cessionem bonorum facta actione Pauliana potest reuocari. Variae autem rationes dubitandi occurrere videntur. Eo tempore, quo donatio fiebat, donator rerum suarum erat dominus, ideo-

ideoque de rebus suis secundum arbitrium disponendi habebat potestatem; obuenit etiam regula, semel vires habuit donatio, hinc ex post facto reuocationem non admittit. *I. 2.3. Cod. de reu. donat.* Creditoribus etiam eo tempore nullum in rebus donatoris competit bat ius, exceptis hypothecariis, si ergo hoc est verum, omnia facta donatoris sunt valida; multominus donatarius a creditoribus conueniri potest; quia cum illis non contraxit. Ratio decidendi autem est haec; maior est conditio illorum, qui certant de damno vitando, iis, qui certant de lucro captando, deinde etiam omnis donatio legibus debet esse conformis, ut aequitati non repugnet, dominus rerum quidem potestatem vtedin non autem abutendi habet, sed potius obuenit regula: qui iure suo abutitur, potius est priuandus. Creditores quidem non habent ius, quoad personam donatarii, bene tamen quoad res a debitore in eorum fraudem donatas, nemo enim ex alterius damno fieri debet lucupletior: per tales donationes enim saepe fit ut non solum creditoribus satis fieri non possit, sed debitores ipsi egere incipient, et ad summas redigantur angustias, cui malo optime prospicere possumus si reuocantur, quo saepe fit, ut creditoribus penitus satisfieri possit, et etiam debitores adhuc tantum retineant, quantum satis, ad vitam tuendam. *Leyserus Spec. 494* memorabilem casum refert, vbi quidam ciuis satis locuples consuli suo agrum donasset,

sed

sed usum fructum et possessionem quoad vitam sibi reseruasset, interiectis aliquot post donationem annis, donator aet alienum conflare incipit, bonaque sua creditoribus cessit, interea debitor regem supplex adit, agrum istum maximam bonorum esse partem, et si donatio reseinderetur facile creditoribus satisfieri possit, tandem precibus motus rex duobus ICtis Hallen-sibus mandatum de hac re iudicandi dedit; qui rationibus dubitandi et decidendi additis; ita iudicarunt:  
*dass die gethanen Schenkung wieder auf zu keben, jedoch die beyderseits verursachten Unkosten zu compensiren*  
**V. R. W.** Etiam scabini Lipsiensis versus Zizam apd Schilterum Prax. Iur. Rom. L. 39. ff. Tit. V. §. 23. ita responderunt donationem propter superuenientem paupertatem posse reuocari. In Elektoratu Saxonico conferenda est Decisio nouissima 25. de anno 1746 simul etiam in den Anhang der Chur Schsl. Erl. Procc. Ordul n. 24. Mandatum contra Banquerouteurs praecipue §. 15. vbi legislator ad hunc cum inter alia disponit. *Alle Schenckungen so eine Frau von ihren Mann erhalten, dessen Vermögen nochmals in Concurs geräth, und annoch vorhanden, wenn er gleich damals soluendogewesen, soll null und nichtig seyn, und ad masslam concursus gebracht werden vid. sigelii Comment. ad h. §.*

T A N T V M





Lipzg, Diss., 1775 K-2



VDT8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

Inches

Farbkarte #13

EXERCITATIO IVRIDICA

e eo quod iustum est circa  
donationem a debitore ante concursum  
motum factam.

Q V A M

VSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIA  
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.  
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. X I. A P R I L. M D C C L X X V.

A D DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT

A V C T O R

G V S T V S E R N E S T V S S C H M V C K

D R E S D E N S I S .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

Nr. 476  
1775, 60